









1733.

1. Beckius, Caspar Sebastianus: De officio iudicis nobilitatis et mercenarii.
  2. Beckius, Caspar Sebastianus: Programma: De exemptione academicarum a juris Dictione curiarum provinciarum Litem Dissertationi inaugurali Johanni Witeloni Buschmanni . . . praemissum.
  3. Bonningellius, Dr. Salom: De jure patronorum honorifico primario nimirum jure praesentandi.
  4. Bonningellius, Dr. Salom: Programma: De solemnitate in executione sententiarum capitalium a Romanis attributis, Christophori Frid. Pappigii . . . inaugurali dissertationi . . . praemissum.
  - 59, 60 Bonningellius, Dr. Salom: De pictura famosa et de specie juris Germanici, pacto nimirum, quo majores nostri, sub pictura famosa . . . sese obligaverunt.
- 3 Sauml. 1733 = 1748.

1773.

6. Brunquellius, de Talouca: Programma de pfectura honesta et ac ubili . . . Christophori Fesidi. Vicit a Berg inaugurali Dissertationi . . . praemissum.
7. Corporius, Facobus: Fundamenta artis nauticae in mathesi quaerenda.
8. Herbelius, Joh. Fridericus: De praesentia in contractu inominato habere non locum inveniente.
9. Herbelius, Joannes Fridericus: De constitutione sive forma judiciorum criminatum solemnium . . .
10. Kemmerich, Diet. Helm: Oid. jur. processuum: De origine contractuum nominatorum et inominatorum, nec non diversarum actionum inde natarum quaedam praefatus, et . . . Disputationem inang. Johannis Baritis Bachheusii . . . rivitat.
11. Kemmerichius, Diet. Helm: De investitura per baculum et anulum et jure patronatus regio

1783.

12. Kemmerichius, Hist. Germ. Ord. Jus protecurus :  
De investitura per baculum et annulum; et Jure  
patronatus regis . . . Disputatiōni in Ang. Eberhardi  
Fridrici Torni . . . praemissa.
13. Kemmerichius, Dictiones Hermannus : De creditore  
antichristico & abusus non reddente.
14. Thierberg, Fridr. Imertus, bürger. etc : De superioritate  
territorii in Modis imperii 84.2.
15. Krollius, Hurner : De jure diversarum republicarum  
formarum.
16. Pperfer, Frachinus Eusepius : Calor sub umbra  
torrensque.
17. Stockius, Joh. Christianus : De homine Dei conditoris  
teste.
18. Struvius, Bure. Gottelffus : De successione se.  
centogeniti prae primogenito in regna et principatus



1.

6

7.

8

9.

10

1





*H.3. num. 21.*

DIETER. HERM. KEMMERICHII,

*13*

ICTI,

ET ANTECESSORIS IN ACADEMIA IENENSI,

COMMENTATIO  
DE

*Marburg 1707!*

INVESTITURA


PER

BACVLVM ET ANNVLVM,

*1733, 11*

ET

IVRE PATRONATVS REGIO.



ACCEDIT

DISPVATIO INAUGVRALIS IVRIDICA,

DE

PRÆSCRIPTIONE FEVDALI,

QVAM

PRÆSIDE DEO OPT. MAXIMO

IN

INCLYTA MARPVRGENSIVM ACADEMIA

DIE IX. APRILIS ANNO MDCCVII.

PRO

GRADV DOCTORALI

HABVIT

IOHANNES IACOBVS BRANDT,

HOMBERGA - HASSVS.



IENAE,

EX OFFICINA HELLERIANA, 1750



*Handwritten marginalia*

*5 1/2*



DIESER ...


...

IN VERT ...

...

...





I. N. D. N. I. C.

**A**nimus fert, occasione Disputationis  
solennis, quæ hoc scripto indicanda  
venit, pauca quædam, cum de IN-  
VESTITURA Episcoporum ac Præ-  
latorum per SACVLVM & ANNV-  
LVM, quæ Imperatoribus R. G. olim compete-  
bat, cum de IVRE PATRONATVS REGIO, quod iti-  
dem Regibus & Imperatoribus nostris à nonnullis  
tribuitur, pauca quædam commentari. Nimi-  
rum animadverto, nonnullos de ratione hujus In-  
vestituræ ita differere, ut fundamentum ejus in jure  
Patronatus maxime quærere videantur. Ita enim  
jam Sec. XIV. scripsit LVPOLDVS de BABENBVRG,  
A 2                      Episco-

Episcopus Bambergensis: (a) Reges & Imperatores non tam virtute dicti privilegii (Papalis scil.), quam ex hoc, quod erant ut plurimum Patroni, seu dotatores Ecclesiarum cathedralium & majorum monasteriorum Germanie, Investituras Episcopatum & Abbatiarum in ipsis Germanie partibus usque ad tempora HENR. V. facere consueverunt. Ex iisdem fere principiis Investituræ hujus natales repetit Ill. BOEHMERVS (b), dum: Quod CAROLVS M. inquit, ejusque prosapia, in primis vero OTTONES, plerosque Episcopatus & Prælaturas per Germaniam & Galliam erigerent, eisque bona ingentia conferrent, adeoque hæc beneficia sui juris esse crederent. Inde forsitan INVESTITVRARVM per BACVLVM & ANNVLVM primordia sunt repetenda; constat enim ex jure feudali, quod per investituram solennem ab antiquo bona in eos collata sint, quibus officia quævis, tum militaria, tum aulica, demandabantur ad instar alicujus salarii. Non ergo mirandum, quod Cæsares illas præposituras, quas ipsimet constituerant, mediante investitura, ut feuda quadam ecclesiastica, Prælati conferrent: quæ consuetudo in primis sub Carolingicis invaluit.

Porre

(a) In Libro de Zelo veterum Principum Germ. cap. 8.

(b) In J. Eccles. Lib. I. Tit. VI. §. 61.

Porrecta hac consuetudo postea ad quascunque pre-  
 laturas, jam antiquitus constitutas, cum etiam in ha-  
 rum collationibus Regis consensus esset necessarius.  
 Ita Dn. BOEHMERVS. Et quamvis hic feudalem quoq;  
 in subsidium vocet *qualitatem*, quam in hujusmo-  
 di *Investitura* deprehendi putat; quippe quam  
 §. 62. *solemnem* definit *traditionem* eorum bono-  
 rum, quorum utilitates & commoda alicui concedun-  
 tur ob officium vel *seruitium*: attamen mox in eo-  
 dem §o. iterum ad *patronatus* jura respicit, dum  
 ait: *Neque enim* deterioris conditionis esse poterant  
*Cæsares PATRONIS*, qui itidem, vi *JVRIS PA-  
 TRONATVS* beneficia ecclesiastica minora conse-  
 runt. Aliquanto plus etiam ceteris hac in parte  
 sapere sibi vilis est Ill. Dn. à LVDEWIG (c) scri-  
 bens: Per *ANNVLVM* & *BACVLVM* inaugu-  
 ratos fuisse sacros Antistites, notissimum est. Cau-  
 sa rei paucissimi probe perspecta. Plerique putant  
*BACVLVM PASTORITIVM* hunc fuisse, mune-  
 ris pastoralis insigne. Ego, quin ita sentiam, mihi  
 in memoriam revoco, clientes olim vel cespite ex a-  
 gro effosso, vel etiam, quod plurimum contigit, fron-  
 de sive virga de arbore decerpta à domino feudi in-  
 augurationem suscepisse. Quem ritum adduxit

A 3

etiam

(c) In Diss. de Origine Annat. Cap. I. §. 5.

52



etiam MARCA Lib. VIII. c. 19. §. 7. Ut adeo ad fundos quoque feudales virgam sive baculum Episcopi respexisse existimem, non ad sacri tantum muneris rationes. At enim vero, id quidem facile largior, posse fundatorem Ecclesie beneficiique ecclesiastici id sibi, redhostimenti loco, jus reservare, ut circa collationem muneris sacri beneficiique poriores suas oporteat esse partes. Siquidem hanc precipuam Juris Patronatus originem esse, jam ab aliis observatum est. (d) Largior etiam, posse Principem aut Dominum, qui bonis Ecclesiam dotavit, aut beneficia ecclesiastica fundavit, hoc nomine Antistitem Ecclesie aut beneficiarium investire, atque adeo bona talia ac beneficia à se profecta per symbola quædam solenni ritu in certas personas conferre. Atque sic facile quoque concedo, potuisse Reges & Imperatores in Episcopatibus aut Monasteriis à se fundatis atque ditatis jus quoddam

(d) V. HERT. Diss. de Super. Terris. §. XIII. p. m. 211. ubi ait: Ceterum cum non Principes tantum in locis publicis, sed privati etiam in suis fundis templa pii officii causa construerent, & amplissimis reditibus dotarent: vicissim equum fuit visum, ut si aliquid juris retinerent, veluti exercita pietatis monumentum. Inde JUS PATROCINII sive PATRONATUS, uti vulgo vocant, fluxit, vi cujus privati etiam homines habent jus nominandi & offerendi Ministros sacrorum.

dam circa constituendos Episcopos aut Abbates,  
 vel conferenda beneficia Ecclesiastica à se profecta,  
 sibi reservare. Neque etiam nego, posse hoc no-  
 mine Regibus ac Imperatoribus *Jus* quoddam  
*Patronatus, Regium* nonnullis appellatum, tribui:  
 prout Celeberr. Dn. STRUVIUS (e) ex *jure Patronatus Regii Imperatores circa Episcopatus & Canonicatus disponere*, asserit. SICUT & LIMNAEVS (f)  
*Juris Patronatus* meminit, quod Imperator, dum  
 vivit, habeat, *nomine & virtute Imperii*, quod-  
 que, eo moriente, revertatur ad Imperium, cujus  
 nomine idem tempore interregni Vicarii exercere  
 possint; quo & referre videtur *jus praesentandi ad beneficia ecclesiastica*, Vicariis quoque Imp. in A. B. C. V. §. 1. assertum. Quamvis non exponat LIMNAEVS, quod jus patronatus habeat Imperator vivus nomine & virtute Imperii: id quod etiam SCHILTERVS (g) desiderat. Imo nec ipse SCHILTERVS satis clare mentem de hoc jure patronatus explicat; nisi quod primum *jus constituendi Episcopos*, per Concordata HENRICI V. cum Sede Romana Imperatoribus ablatum, ac dein *jus conferendi*

- (e) In *Juris Publ. Prud. Cap. X. §. 28.*  
 (f) Ad A. B. C. V. §. 1. *Obs. XI.*  
 (g) *Instit. J. Publ. L. 1. T. XVIII. §. 3.*

rendi præbendas & beneficia ecclesiastica, præsertim quæ ad eisdem jure Imperatorio sub titulo canonicatus pertineant, quippe quod nihilominus retinuerint, eodem referre videatur. Scilicet ex Actis Coronationum constat, post Coronationem Imperatorem in numerum Canonicorum Ecclesiæ B. Virginis, quæ *Aquisgrani* est, recipi. Simile quid tradunt de Ecclesiis *D. Petri*, quæ est *Roma*, itemque de majori Ecclesia *Coloniensi*, nec non de Ecclesia *Bambergensi*, Canonicum scilicet in his quoque fieri Imperatorem vel olim factum fuisse. (b) Habuit quoque Imperator quondam in Ecclesia Cathedrali *Argentoratensi* Jus Præbendæ Regiæ, *der Königs-Fründe des Chor-Königs*, (i) quippe à Rege seu Imperatore ante hæc fundatæ. Pariter in Ecclesia *Spirensi* duæ Præbendæ ad Imperatores spectant, quippe ab Antecessoribus itidem erectæ. Unde & speciatim harum nomine *Jus Patronatus* Imperatori adscribitur. (k) Denique & in Ecclesia *Trajectina* Præbenda Imperatoris, velut illius Canonici, propria fuit. Quæ

(b) V. M. FREHER. in Not. ad PETR. de ANDRO L. II. pag. 175.

(i) V. KOENIGSHOVEN Chron. C. II. p. 162.

(k) GOLDAST. Polit. Imp. P. 23. n. 1042.



lia beneficia Imperatores aliis iterum conferre sive  
 verunt. (1) Ex quibus omnibus satis quidem elu-  
 cet, *Jus* quoddam *Patronatus* Regium Imperato-  
 ribus ac Regibus Germaniæ, propter foundationes  
 maxime Ecclesiarum aut beneficiorum, ab ipsis fa-  
 ctas, merito asseri: quamvis non videam, qua ra-  
 tione, his positis, istud ad solum *Jus Protectionis*,  
 idque *Domino territorii competens*, restringi queat,  
 uti Ill. Dn. BOEHMERO (m) placuit; neque etiam  
 intelligam, quomodo idem jus vi *Advocatiæ Ma-  
 jestaticæ* Imperatoribus competat, uti aliis visum:  
 (n) cum aliud sit, Ecclesiam defendere, aliud, de  
 bonis ecclesiasticis à se fundatis disponere. Potius  
 existimavcrim, jus *Advocatiæ* sive *Protectionis*  
 speciale ex *Jure Patronatus* fluere: cum Patroni  
 Ecclesiæ utique sit, eam contra Injurias defendere.

At enim vero, ut ad institutum revertar, *In-  
 vestituram* istam per *Baculum & Annulum*, quæ  
 tantas discordias inter Regnum & Sacerdotium  
 mediæ ævi tempestate excitavit, ex *Jure Patronatus*  
 Regio suam trahere originem, nec nisi symboli-  
 cam bonorum ecclesiasticorum, ab Imperatori-

B bus

- (1) v. SCHILT. *Inst. J. Publ.* l. c.  
 (m) In *Jure Paroch.* S. III. C. I. §. 10.  
 (n) v. Dn. STRVV. *Synt. J. Publ. Cap. X. §. 40.*

bus fundatorum, traditionem involvere, id quidem usque adhuc mihi persuadere non potui. Quin potius veriores arbitror sententiam, quæ Investituram hanc nil nisi publicam & solennem, ab Imperatoribus ac Regibus, seu Summis Imperantibus, vi *Summa Potestatis*, circa *Sacra* ipsis competentis, factam, *muneris publici*, in Ecclesia quadam suarum ditionum obeundi, *collationem*, statuit. Curita sententiam, certe rationes mihi sunt in promptu. Primum enim ipsa denominatio *Baculi*, in hujusmodi investitura adhiberi soliti, huic sententiæ patrociniatur. Vocatur enim *pas-*sim apud Scriptores *Pastoralis*, (o) itemque *Ferula Pastoralis*, *Virga Episcopalis*, *Cambucca pastoralis*: (p) ut adeo intelligas, per traditionem baculi hujus, nonnisi collationem Officii ac Potestatis Pastoralis vel Episcopalis indigitari. Quis enim existimaret, *pastoralem* appellatum fuisse *baculum* istum, intuitu bonorum potius, quibus loco salarii frui deberent Pastores, quam intuitu ipsius officii pastoralis, quo fungi debebant. Et haud dubie hoc intuitu huic baculo superne addita fuit

(o) V. DITMAR. MERSE. *Lib. 1. c. 21*

(p) uti legitur ap. ADAMVM BREMENSEM, *PAG. 32. 55. 71.*

fuit incurvatura, ut *Pedum pastorale* exprimeret, quo opiliones utuntur; unde & *Krumstab* appellatum: ut significarent, symbolum hoc esse officii, quo tanquam Pastores ovium, à summo Pastore Christo sibi concreditarum, fungantur. Arguit idem Formula solennis, qua in Investitura Episcopi utebantur, quæ talis erat: *Accipe BACV- LVM PASTORALIS OFFICII, ut sis in corrigendis vitiis pie sevens, iudicium sine ira tenens; in fovendis virtutibus, auditorum animos demulcens, in tranquillitate serenitatis censuram non deserent.* (q) Hinc de HENRICO II. Rege refert DITMARVS MERSEB. (r) quod BACVLO *Arnulfi Præsulis clerum & populum* (scil. verbo divino regendum, non bona fruenda) *Taginoni venerando Patri commiserit.* Quo baculo idem haud dubie Rex Episcopo tradidit, quod alibi *curam pastoralem* idem DITMARVS vocat, dum *Lit. 6. Eberhardo* (primo Papebergensis Ecclesiæ Antistiti) *tunc Cancellario, CURA PASTORALIS à Rege committitur.* Adstipulatur HENR. MEIBOMIVS (s) qui  
 B 2 ait:

(q) KRESSII *Disquisit. Pavoemie: Unter dem Krummen Stabe ist gut wohnen. Cap. 1. §. III. not. 2.*

(r) *Lib. 2.*

(s) in *Tr. de Jure Invest. Episc. p. m. 161.*

ait : *Sacerdoti sive Episcopo, dum consecratur, BACVLVS iste datur, ut ejus indicio subditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat.* Suffragatur quoque HENR. de HENRIGES (t), dum : *Hac duo, inquit, Imperatores semper censuerunt sui juris esse : videlicet hunc hominem huic loco seu Ecclesia addicere, & annulo velut despondere : & conferre ecclesiasticam jurisdictionem, id est, judicium de sacris rebus cum aliquo imperio atque coërcitione : quam in rem signum BACVLVS erat. - - Non inania igitur fuisse signa, ANNVLVS & BACVLVS. Sed cum signo ipsius etiam rei signata, i. e. Ecclesiarum & SACRIMVNERIS COLLATIO facta est.* Non exiguum huic sententiæ accedit momentum, si confideremus, Investituram Episcoporum Italicorum jam CAROLO M. ceu Patricio & Regi Romanorum, ex Decreto Synodi Lateranensis, fuisse concessam, (u) quorum tamen Episcopatus à CAROLO M. non erant fundati, unde nec jure Patronatus investituram

(t) in Tr. de Summa Imp. Potestate circa Sacra cap. VII. §. 24

(u) V. SCHILTERI J. Publ. Tom. II. n. 1. ubi Decretum istud ex vetustissimo Libro Florentino à THEODORICO à NIEM descriptum exhibetur.

ram hanc sibi afferere poterat. Imo Investitura illa jam usū fuit recepta, cum bonis saltem immobilibus ac prædiis amplioribus Episcopatus nondum fuerunt locupletati. Res ipsa enim vetustissima est, & jam ætate ROMANI Episcopi Rothomagi, quem *Sect. VII. q. 25.* (adeoque diu ante CAROLI M. tempora) vixisse, IVRETVS annotat, in cuius vita hæc leguntur: *Fit itaque inter Palatinos Proceres de viro sancto communis assensu, qui omnes unanimiter Regi consulunt, ne grex Christi suo fraudaretur desiderio, sed divina protinus ad effectum deducatur electio: quo Rex gratulatus consilio, convocatis tam Episcopis quam Abbatibus, BACVLVM illi CONTVLIT PASTORALEM.* Firmat denique sententiam meam *Transactio Imper. HENRICI V. cum CALIXTO II. Papa* inita: quippe qua *Investitura per baculum & annulum* Papæ permessa, *Investitura vero per sceptrum* de Regalibus Imperatori servata fuit. Luculento satis indicio, Investituram per baculum & annulum non jure patronatus ac foundationibus bonorum niti; cum sane Papa nullam Ecclesiam in Germania bonis ditaverit, & Imperator adhuc Episcopos & Prælatos, amissa licet illa Investitura, Territorio & Bonis æque ac Regalibus investiat. Certe ratio vindicatur

dicatæ à Papa investituræ haud dubie fuit, quod nefas duceret Sacer Ordo, è manibus Imperatorum, ceu hominum Laicorum, iisque bello saepe truentatis, sacri muneris collationem suscipere.

Sed ulterius hæc profèqui, instituti ratio vetat. Significandum enim, in publicum crastina luce, D. V. pròditurura

*Nobilissimum Jurium Candidatum*

**EBERH. FRIDERICVM  
JOSSIVM,**

atque de natalibus vita ac studiis ea, quæ nosse publice interest, commemoranda. Nimirum in lucem editus est hic noster Candidatus in incluta Sævotum Civitate Imperiali, *Heilbronna*, die XIII. Maji A. MDCC IX. Parentibus gavisus, IOHANNE IACOBO IO'S, Cæsareanorum militum Tribuno, ac MARIA MARGARETHA, ex BOEHRINGERIANA Gente oriunda. &c. Sed vero curriculum vitæ nobilissimi Domini Candidati per totum hic apponere, ut superfluum apertum, æque omitimus.



18 ) 15 ( 18



IO. IAC. BRANDTII;

HOMBERGA - MASSI;

DISPUTATIO INAUGURALIS IURIDICA,

DE

PRAESCRIPTIONE  
FEVDALI.

CONSPECTVS.

§. I. Disputationis occasio. §. II. Etymologia praescriptionis. §. III. IV. Homonymia praescriptionis. §. V. VI. Etymologia vocis feudalis. §. VII. Quorundam opinio de Feudorum origine. §. VIII. De verosimili Feudorum origine. §. IX. De utilitate huius inquisitionis. §. X. De origine praescriptionis Feudalis. §. XI. De Methodo huius thematis. §. XII. XIII. Definitio praescriptionis feudalis. §. XIV. Divisio praescriptionis feudalis. §. XV. Differentia praescriptionis & Investiturae. §. XVI. Differentia praescriptionis & renovationis. §. XVII. Acquisitio Feudi ex Allodio. §. XVIII. Acqui-

*Acquisitio Allodii ex Feudo. §. XIX. De Possessione quieta & non-interrupta. §. XX. An titulus necessarius in hac præscriptione? §. XXI. Epilogus.*

§. I.



res esse modos acquirendi feudum scil. Investituram 2. feud. 2. Successionem seu Renovationem 2. feud. 33. & tandem Præscriptionem 2. feud. 26. vers. Si quis per triginta annos &c. quemque modum sua specialia requisita, quæ nihil aliud sunt, quam partes necessariæ negotii alicujus in quas sua sponte se scindit, habere, nemo in inficias ibit; Elaborata igitur natura ac requisitis primi modi, sc. investituræ feudalis à B. meo Patre in Disputatione sua Inaugurali hoc in loco habita, ut & secundi modi, sc. investituræ feudalis renovatione à Fratrem meo in peculiari Dissertatione, tandem, ne hæc utilis & necessaria materia à me pro derelicta habeatur, in me suscepi tertium modum acquisitionis feudalis sc. præscriptionem feudalem: Faxit vero Omnipotens Numen, ut hic meus labor cedat ad Nominis sui gloriam legumque cupidorum satisfactionem.

§. II. An-



§. II. Antequam vero ad ipsam materiam  
 progrediar, suscipienda erit nominum explicatio,  
 sine hac enim frustra de rebus disputatur; Præscri-  
 ptio itaque nomen suum trahit à præscribendo, h  
 e. quod leges determinarint certum temporis spa-  
 tium, intra quod ob certas rationes aliquis jus su-  
 um sub pœna amissionis prosequi debeat, hinc et-  
 iam temporis præfinitio dicitur, vid. Hahn. ad  
 Welensb. tit. de Usurp. & Usucap. p. m. 697. Dixi,  
 quod leges determinarint; Per leges vero has, non  
 intelligo naturales, quæ sc. tale requirunt tempus,  
 ex quo verosimiliter tacita præsumitur rei dereli-  
 ctio, vid. Dn. Werlhofium in pec. Diss. DE PRÆ-  
 SCRIPTIONE INTER GENTES LIBERAS

§. 12. seqq. quam internam præscriptionis rationem  
 etiam Jctis Romanis observatam, patet ex l. 28. ff.  
 de V. S. l. 15. §. 21. de Damno inf. l. 203. ff. de R. Juris.  
 Sed Civiles, quæ ab ipso penes quem summum  
 imperium est, sunt confectæ & subditis præscriptæ.

§. III. Ad formandum vero sibi hujus præ-  
 scriptionis distinctum conceptum, non parum ju-  
 vabit, discernere varios & præcipuos hujus vocis si-  
 gnificatus; Sumitur enim (1.) pro exceptione ju-  
 ris, quando scil. alter habebat quidem actionem  
 stricto jure fundatam, agnoscente etiam hoc reo,  
 sed

C

sed

sed huic Prætor ex æquitate, quoad negotia stricti juris, succurrebat exceptione, & hinc à modo proponendi forsàn dicebatur præscriptio *l. 91. de Solution.* (2.) Accipitur pro solo lapsu temporis citra ullam considerationem tituli aut bonæ fidei, & hæc temporalis dicitur, consistens in exclusione terminorum & actionum *t. t. de Div. tempor. præscript.* (3.) Præter jam notatum significatum etiam sub se comprehendit rerum præscriptionem seu usucapionem late dictam quatenus scilicet cum hac confusa est, etsi hæc confusio jure novo in plurimis adsit, vid. Dn. Böhmer. in *Introd. ad I. D. tit. de Usurp. & Usuc. §. 3.* Differentia tamen respectu rerum adhuc est, quod scilicet res incorporales uti servitutes & actiones præscribantur, corporales vero usucapiantur.

§. IV. Sumitur etiam (4.) uti communiter volunt, pro determinatione certi spatii *l. 5. C. Fin. Regund.* Sed vid. Dn. Böhmer. *tit. Fin. Reg. §. 4.* Et denique (5.) sumitur pro acquisitione dominiæ sive directi sive utilis in feudo per quietam & non interruptam possessionem triginta annorum, hincque significatus imprimis ad meum scopum pertinet.

§. V. Pergo jam ad alterum Tituli mei vocabu-

cabulum, feudale, scil. quod derivationem suam  
 habet à feudo ; Antequam vero hac voce latine  
 scribentes forte seculo X. & XI. usi fuerint, usurpa-  
 ta fuit vox beneficii, qua etiam Romanos usos fuis-  
 se, patet ex S. Augustino Serm. I. in vigilia Pente-  
 costes, ubi ait : *Notum est, quod milites seculi be-  
 neficia temporalia à temporalibus Dominis acceptu-  
 ri, prius militaribus Sacramentis obligantur, & Do-  
 minis suis fidem se servaturos, profitentur* : Item ex  
 Hygeno de Limitibus : *Si qua beneficia concessa  
 aut assignata colonia fuerint, in libro beneficiorum  
 adscribemus* : Item ex Dolabella de Agrimenfori-  
 bus : *Quæris si in libro beneficiorum regionis illius  
 beneficium Augustus dedit*. Inde etiam Franci &  
 Germani alii in scripturis verbo beneficiare usi, si-  
 cut etiam Carolus M. in testamento : *Villas, quas  
 nos quondam Tasulan beneficiavimus* : Item ex  
 Siegeberto in ann. Dom. MVII. constat : *Henri-  
 cus Imperator Valentinianus Balovino beneficiavit,  
 ut sibi contra motus suorum auxilio esset* ; Et hæc  
 vox non solum in feudis militaribus, sed etiam bo-  
 nis censiticis & emphyteuticis usurpata fuit, ita al-  
 lodia Ecclesiis & Monasteriis olim oblata dicuntur  
 in antiquis instrumentis *ea ratione ut ipsas res per  
 beneficium ipsorum Monachorum, tempus vite no-*

*stra per cartulam precariam post eos recipiamus, & censum eis exinde solvamus: Et sic censuarius in beneficium accipere dicebatur.*

§. VI. Pro qua tamen voce beneficii postea Germani seculo imprimis XI. in scripturis usurpabant vocabulum investituræ & feudi: Unde vero hæc feudi vox suam derivationem habeat mire se torquent Doctores, vid. Dn. Stryck. in *Ex. I. F. c. 2. §. 1.* Quicquid vero sit, mihi præ omnibus placet, ultima in jam all. §. opinio, & puto potius hoc vocabulum nativum ac vernaculum esse, quam peregrinum & latinum, receptio enim est facti, ergo & probanda; Composita vero hæc vox est, ex Fee & Od, primæva sua significatione, quamlibet rem stipendiariam notans, Fee enim stipendium denotat aut mercedem, quæ vox in Anglia, teste Speelmanno, adhuc in usu est; Od vero res seu bona denotat, unde Einnod, Allod, Kleinnod, & vocem feodi Anglos quoque olim usurpasse, testatur Skenæus ad Malcomi II. Regis Scotiae constitutiones, qui regnare cœpit anno 1004. *Omnibus Rex Malcomus dedit & distribuit terram Regni Scotia hominibus suis: Et nihil sibi retinuit in proprietate nisi regiam dignitatem, & montem placiti, in villa de Scona. Et ibi omnes Barones*

nes concesserunt sibi VVardam & relevium de herede  
de cujuscunque Baronis defuncti, ad sustentationem  
Domini Regis. It. ordinaverunt Cancellario Regis  
feodum magni sigilli, videl. quo qualibet charta cen-  
tum libratum terra, & ultra pro feodo sigilli, de-  
cem libras, & Clerico pro scriptura duas marcas.

§. VII. Unde feuda suam trahunt origi-  
nem, maxime inter Feudistas ventilatur, & qui-  
dam sunt, qui eorum originem ac inventionem  
Romanis adscribunt, ut Parthenopæus ille Doctor  
Lucas à Penna, asserens: Feuda etiam fuisse tem-  
poribus Justiniani, & hoc probare intendit ex §.  
40. *Inst. de R. D.* Sed ad hæc breviter respondeo,  
cum oblitum esse, ibi non tractari de concessione  
dominii utilis, sed de plena (uti verba anteceden-  
tia docent) alienatione, ergo hæc asserio contra  
veras impingit regulas interpretandi. Deinde U-  
dalricus Zasius feuda derivat de origine Patrono-  
rum & Clientium apud Romanos, Authore Ro-  
mulo, sed hæc opinio nullam meretur receptio-  
nem, quia hi Clientes revera nulla bona & conse-  
quenter nullum dominium utile à Patronis suis ac-  
cipiebant, sed hi saltem iis, occasione se offerente,  
consiliis assistebant, vid. *Auib. der Einleitung zur  
Röm. und Deutschen Historie p. 18.* Hoc tamen

non diffidendum aliquid simile istos Romanos Clientes cum Vasallis, & prædia stipendiaria cum bonis feudalibus habere, sed quæ conveniunt in uno tertio, non proinde in toto conveniunt.

§. VIII. Quid vero sentiendum de feudorum origine? Hoc, quod illa neque Romanis, & Timariotis Turcarum vid. Bodin. *L. 2. de Rep. c. 2.* neque Græcis & Japonensibus sed Teutonicæ gentis juri ac moribus sit adscribenda; Ex hac vero profluxerunt *Franci, Longobardi, Saxones & Svevones*, qui omnes juribus æquitati naturali superstructis, & in paucis à se diversis, utebantur: Apud Francos vero feuda in usu fuisse, non solum ex constitutionibus feudalibus Caroli M. sed etiam ex *Chronicis Spirensibus Lehmanni p. 72. & 78.* videri licet; adde Schilt. in *Præfat. Jur. feud. Alemann. §. 5.* De reliquarum gentium consuetudinibus feudalibus non est quod dubitemus, in omnibus enim fere manibus sunt, **JVS FEVDALE LONGOBARDICVM**, Corpori Juris regulariter annexum, ut & **JVS FEVDALE ALEMANNICVM & SAXONICVM**: Hoc etiam quoad hæc duo ultima jura notandum in iis, quosdam casus etiam in praxi obvientes, decidi, quorum  
deci-

decisionem in Jure Feudali Longobardico non invenimus : Ergo & horum notitia eo utilior.

§. IX. Sed dicis, cui usui hæc ? Resp. Multos & eruditos Doctores hujus rei usum nullum, & de lana caprina esse, sincere profitentur, sed horum rationibus sepositis, ingenue confiteri adstringimur, magnum hujus inquisitionis esse usum, & quidem ob sequentes rationes : (1.) Ut ad interpretandum jus nostrum modernum feudale, eo majori studio ac industria operam demus antiquitatibus Germanicis, uti fontibus, ex quibus hoc jus explicandum, & hic quidem multa dicenda ac monenda essent, sed quia jam commoda occasio se non offert, de his scribendi transeant, sed tamen conscientiam meam moveret, si præterirem pulcherrimum illud effatum J Cti Quinti Mucii : *Turpe esse J Cto, jus, in quo versaretur, ignorare.* (2.) Et quid multis verbis opus, cum ipsemet Doctiss. J Ctus Cajus in *pr. Tit. ff. de O. I.* fatetur : *Se in omnibus rebus animadvertere ; Id perfectum esse, quod ex omnibus suis partibus constaret. Et certe cujusque rei, potissima pars principium est.*

§. X. Cum in duobus jam præcedentibus sis pauca de feudorum origine hujusque utilitate diximus, quædam adhuc dicenda restant de origine

ne praescriptionis feudalis, de hac vero sic tenendum, quod quidem certum tempus, quando scilicet haec incœperit, ut & spatium intra quod aliquid praescribi possit, ante existentiam scripturae, determinatum non invenimus; Hoc tamen certum, post introducta feuda etiam praescriptionem, qua gentes usque sunt & supra §. 2. Juris Gentium diximus, originem suam cœpisse: Et hoc etiam verosimile; Praescriptionem triginta annorum ante scripturam, quia haec istam tanquam consuetudinem communem & jam existentem excerpit, extitisse. Hucusque de Praelimiribus & verborum significationibus; nunc ad ipsum nostrum thema progrediemur.

§. XI. Impraesentiarum considerandum suscepi praescriptionem, non ut in univêrsum excurrit, sed quatenus in negotiis feudalibus obtinet, & quidem hac methodo: (1.) Ut agam de Praescriptionis feudalis Definitione. (2.) De ejus Divisione; & (3.) ex clara & perspicua Definitione axiomata deducam.

§. XII. EST ERGO PRAESCRIPTIO FEUDALIS MODVS ACQVIRENDI VEL FEVDA EX ALLODIIS VEL ALLODIA EX FEVDIS PER QUIETAM ET NON INTER-  
RVP.



RVPTAM BONAE FIDEI POSSESSIO-  
 NEM TRIGINTA ANNORVM, & hæc defi-  
 nitio se fundat in textu *II. Feud. 26. §. 4.* ubi hæc in-  
 veniuntur : *Si quis per triginta annos rem aliquam  
 ut feudum possedit, & servitium Domino exhibuerit,  
 quamvis de ea re non sit investitus, præscriptione ta-  
 men triginta annorum se tueri potest.* Hæc præscri-  
 ptio triginta annos requirit completos locutio e-  
 nim PER, totam temporis consummationem no-  
 tat, *arg. l. 166. §. 1. ff. de V. S.* PER enim ibi totam  
 noctem significat, adde *Alciat. ad eand. l. 166. ff.*  
 qui observat : *PER quandam integritatem & per-  
 fectionem referre* ; Itaque ultimus annus non ha-  
 bendus pro completo, nisi novissimo die adjecto,  
*arg. l. in omnibus 6. ff. de O. & A.* vid. Dn. Böhmer.  
*in Introductione ad I. D. tit. de Div. temp. Prescript.*  
 §. 3. Neque dubiam facit hanc sententiam *l. 6. &  
 7. de Usucap. item l. pen. ff. de Divers. tempor. præ-  
 script.* Hæc leges enim usucapionem, in favorem  
 dominii tempus abbreviantes, spectant, non præ-  
 scriptionem longissimi temporis, quæ inventa cre-  
 ditur à *Theodosio II.* vid. *Strauch. in Irnerio non er-  
 rante c. 4. num. 4.*

§. XIII. Præscriptio hæc triginta annorum  
 dubia videtur reddi *per 2. Feud. 87.* ubi sufficit lon-

D

gi

gi temporis præscriptio, consistens in tempore decem vel viginti annorum, *l. 11. c. de Præscript. long. temp. ut & per 1. Feud. 26. §. 1. vers. Hac autem*, ubi mentio fit de annali præscriptione; Sed quod *2. Feud. 87.* continetur, explicandum est ex *2. Feud. 26. §. 4.* vid. Stryck. in *Exam. Jur. Feud. c. XI. §. 7.* necrefugium quærendum in Jure Civili, ubi Jus Feudale superest *2. Feud. 1.* neque fallit, capitula extraordinaria auctoritatem in decidendis controversiis non habere, maxime contra Jus Feudale consuetudine receptum est, vid. Heinr. à Rolenthal. in *Synops. Jur. Feud. c. 7. concl. 33. num. 17.* & Dn. Stryck. in *Exam. Jur. Feud. c. 1. §. 22.* ista aut capitula allegari non possunt, si ordinariis contrariantur, olim enim de horum capitulorum auctoritate dubitatum, unde has constitutiones Extravagantes vocavit Mericucius in *quest. 16.* vid. Mauritium *Dec. 1. contrav. feud. posit. ult.* Nec Accursius in corpore glossato illa retulit, & hucusque verba Stryckii. Nec est quod curemus *textum 1. Feud. 26. §. 1.* Contentio enim ibi est inter Vasallum & alios de Investitura, facta à Domino feudi; Liberat enim tunc possessio feudi annalis, sciente Domino & non contradicente à solenni probatione, & solummodo juramenti locus est.

§. XIV,

§. XIV. Prout res sunt, vel Ecclesiasticæ  
 vel Seculares, ita etiam præscriptio feudalis se cin-  
 dit, in præscriptionem Feudalem, Ecclesiasticam &  
 Secularem, hanc absolvi spatio 30. annorum, ne-  
 mo ob clarum textum 2. Feud. 26. in inficias it;  
 Quoad illam vero magna inter Doctores lis est:  
 An scil. absolvatur tempore triginta annorum, an,  
 uti præscriptio reliquarum rerum Ecclesiasticarum,  
 quadraginta juxta Auth. Quas actiones c. de SS. Ec-  
 clef. & Doctores ab hac parte ad stabiliendam su-  
 am opinionem sequentibus utuntur argumentis?  
 (1.) Nullum verbum in jam dicto loco 11. Feud. 26.  
 §. Si quis, inveniri de rebus Ecclesiasticis, ergo et-  
 iam de his legem non disponere, sed potius obse-  
 quium præstandum, 2. Feud. 1. ubi dicitur: Quod  
 strenuus Legisperitus, sicubi casus emerferit, qui  
 consuetudine feudi non sit comprehensus, absque ca-  
 lumnia uti possit lege scripta, & ergo recurrendum  
 ad jam alleg. auth. Quas actiones (2) nullam cor-  
 rectionem præsumi, & quicquid lege specialiter  
 non sit expressum, id veterum legum constitu-  
 tionumque regulis omnes relictum intelligant l. 32.  
 §. 6. c. de Appellat. & arg. l. 27. c. de Testam. (3.)  
 Generalia quidem generaliter esse interpretanda,  
 nisi obvia sint certis legibus, & haec corrigi debe-  
 ant,

ant, vid. Fränzk. *ad ff. de LL. num. 28.* His se strenue opponit Schenck. L. B. à Taut. *In consuet. feud. L. 3. t. 4. §. Si quis*; Statuens in all. loco *11. Feud. 26. §. Si quis*, verbum *aliquam rem* denotare aliquid generale & indistinctum, & sic optime locum habere posse interpretationem extensivam, quia hic eadem ratio, ergo deberet etiam quoad feuda Ecclesiastica esse ejusdem legis dispositio; Sed mihi cum distinctione inter res Ecclesiasticas qua tales & feuda Ecclesiastica res concilianda videtur, & de illis loqui alleg. Authenticam; Haec vero etiam comprehendi in alleg. textu feudali, sub voce *rem aliquam*, & hanc opinionem ratione & aequitate niti, probo ex sequentibus: (1.) Eo tempore, Justiniano Imperatori feuda incognita fuisse, ergo ad non cogitata, *Non. III. §. 131. c. 6. ut & saepe alleg. authenticam*; *Quas actiones non posse extendi.* (2.) Ex praescriptione dominii utilis non adeo magnum sentit Ecclesia detrimentum, quia adhuc retinet dominium directum, imo finitio feudo plenum dominium redit ad ipsam Ecclesiam, vid. *Dn. Stryck in Examine Jur. Feud. cap. XI. §. 8. in fine.*

§. XV. Dixi in definitione praescriptionis feudalis §. XII. Praescriptionem feudalem esse modum acquirendi feudum; Ergo quod hunc cor-  
venit

venit cum investitura & renovatione feudali, dif-  
fert vero ab investitura, (1.) Quod hæc sit solen-  
nis feudi traditio vere vel fiste facta, quæ tamen in  
præscriptione non requiritur. (2.) In illa DO-  
MINVS rem debet alteri tradere, vid. B. meum  
Patrem in *Disputatione sua Inaugurali de Investit.*  
*feud. tb. XI.* In hac vero nil impedit siue tradatur  
à m. f. siue à b. f. possessore, modo accipiens in bo-  
na sit fide, & hanc necessariam esse, producunt 11.  
*Feud. 87.* uti Schultz. *S. I. F. c. 9. num. 86.* qui addit  
hoc convenire cum æquitate canonica, *c. pen. c. ult.*  
*X. de præscript.* quam in materia præscriptionis ob-  
servandam esse, DD. communiter statuunt. Un-  
de Rosenthal. in *Synops. Jur. feudal. cap. 6. concl. 77.*  
*num. 9.* Licet, inquit, *textus feudales non expres-*  
*se exigant, tamen cum in eo Jura Canonica in utro-*  
*que foro receptissima aperte non corrigant, hoc se-*  
*cundum ea interpretari oportet, vel quod bis deest,*  
*ex illis suppleri debet;* cujus sententia usu obtinet,  
vid. Struv. *S. I. F. c. 8. apb. 11. num. 4.* uti de Came-  
ra Imperiali testatur Mynsing. *cent. 4. observ. 6.*  
Gail. *2. obs. 18.*

§. XVI. Porro in differentias renovationis  
& præscriptionis feudalis inquiremus, differunt e-  
nim hæc (1.) Quod renovatio in se contineat actum

solennem, qui ad præscriptionem non requiritur.  
 (2.) Quod illa fiat in feudo constituto, hæc vero  
 etiam in adhuc constituendo. Sed dicis, si reno-  
 vatio locum habeat in feudo constituto, non est  
 modus acquirendi feudum, uti §. 1. & præc. asserui-  
 sti? Sed Resp. non ita intelligo hunc modum ac-  
 quirendi ac si feudum de novo acquiratur, sed qua-  
 tenus ex opposito habet amissionem, si intra tem-  
 pus legitimum renovatio non petatur, vid. Dn.  
 Stryck. in E. I. F. c. 17. §. 15. & vice versa acquiratur,  
 si intra illud tempus de ea sollicitetur atque obtinea-  
 tur, quomodo vero hæc renovatio sit petenda, vid.  
 apud Fratrem meum in Dissert. de Investit. feud. re-  
 novatione cap. IV. §. 2. (3.) Quod præscriptio  
 contineat tempus triginta annorum, aut renovatio  
 requirit annum & diem, 11. Feud. 24. & 1. Feud. 28.  
 quorum textuum conciliationem ostendit Struv.  
 S. I. F. c. X. app. 7. add. 1. Feud. 19. 21. 23. & passim,  
 & hujus termini etiam mentio fit IN JURE FEV-  
 DALI ALEMANNICO cap. 83. & JURE FEV-  
 DALI SAXONICO §. 50. segg. verbis: Veret  
 ouch der man uz in lande binnen siner jarzale, ber  
 erlenget sine jarzale darmete nicht. Also hat der  
 man sine jarzale lenget ab ber sines gutes sinnet, und  
 es ime der berre vweigeret mit unrechte, also kurtzet  
 sie

*ſie ime der berre ab her ime das gut bitet. Hütet ſich  
 der berre oder becluzet her ſich uf einer burg, daz  
 der man zu ime nicht komen mag, ez en ſchadet de-  
 me manne nicht zu ſine rechte &c. Et in fine: Stirbt  
 ein man über mer oder ander. zwar, alſe ſine kinde-  
 re ſinen tot erſt vereiſchen, dar get an ire jarzale ir  
 gut zu entpabne. Stirbt ouch jenes mannes berre  
 unwiſſenlich ſinen mannen. So venne ſi ſinen tot  
 erſt vereiſchen dar get an ir jarzale ir gut zu entpab-  
 ne. Et verba JURIS FEVDALIS ALEM-  
 ANICI ſequentia ſunt: Inner der Iorezale ſol eines  
 Herren man mit ſime Herren rechten und ſtirbet er  
 und lott lebens erben hunder ime und hett den toden  
 man beklaget yeman umb das gut ſo hett der erbe als  
 gut recht gegen dem klegger als der vatter do er lebte.*

*§. XVII. Mentionem etiam feci in præscri-  
 ptionis feudalis definitione §. XII. quod ſit modus  
 vel acquirendi feudum ex allodio; quod ſit, ſi vel  
 Dominus directus in re, quæ Vaſallo propria fuit,  
 acquirat dominium directum, vel ſi Vaſallus in re,  
 quæ Domino directo propria fuit, acquirat domi-  
 nium utile; Quod ſit Jure Saxonum, ſi Vaſallus  
 tenuerit alterius rem tanquam feudalem per trigin-  
 ta annos, annum & diem, vid. Carpz. *Jur. Feud.*  
*part. 2. c. 5. deſin. 16. & Dn. Stryck. in Exam. Juris*  
*Feud.**

*Feud. c. XI. §. 6.* Duae enim species Præscriptio-  
 num in Jure Saxonico invenimus, quarum una ad  
 res mobiles & se vel à natura vel facto hominum  
 moventes pertinet, quæ termino unius anni & diei,  
 h. e. sex hebdomadarum absolvitur, vid. *Land-  
 Recht Lib. I. artic. 28.* Alteram ad res immobiles  
 comparatam, & quæ annos triginta & unum cum  
 die requirit, vid. *Land-Recht Lib. I. artic. 29.* &  
*Heig. part. 1. quest. 16. num. 11.* Quid vero de hoc  
 casu tenendum, si Vasallus ab alio rem in feudum  
 recognoscit, & ab eo renovationem investituræ  
 petit & servitia ipsi ratione istius rei exhibet? Resp.  
 Hic distingvendum esse: An hoc factum cum sci-  
 entia prioris Domini, & tunc, si hic per triginta an-  
 nos acquiriverit, utique dominium directum eum  
 amisisse dicendum? An vero sine scientia, & tunc  
 isthoc Vasalli factum pristino Domino non noc-  
 ebit, etiamsi ille per triginta annos alium recogno-  
 verit, sed ipse Vasallus ob feloniam commissam u-  
 tile amittet dominium. Nuda enim agnitio novi  
 Domini, quæ fit à Vasallo, haud dejicit Dominum  
 de sua possessione, vid. *Bald. in l. 11. c. de Bon. lib.  
 Jacobin. de S. Georg. de Feudis, vers. dictique Va-  
 salli n. 23.* adeoque nec præscriptio locum habere  
 potest, nisi aliquid accedat, quod Domini posses-  
 sionem intervertat.

§. XVIII.





§. XVIII. Afferui adhuc in præscriptionis feudalis definitione, quod sit modus acquirendi vel feudum ex allodio vel allodium ex feudo, quod ultimum accidit, si vel Dominus directus in re feudali constituta dominium Vasalli utile præscribit, v. gr. Si feudum sui Vasalli per triginta annos velut rem propriam & liberam, sciente & non contradicente Vasallo b. f. possederit, Schultz. *S. I. F. cap. 9. n. 93.* Rosenthal. *cap. 6. concl. 83.* vel vice versa, si Vasallus dominium directum sui Domini præscribit, v. gr. Si bona fide (quæ ex lapsu tanti temporis præsumitur) se Vasallum negaverit ac Dominus per triginta annos acquieverit, Rosenthal. *cap. 6. concl. 83. n. 19.* Sed ad hunc quoque §. pertinet quæstio: An scilicet ista tricennalis præscriptio, cujus mentio fit *11. Feud. 26. §. Si quis*, extendenda sit ad acquisitionem allodiorum à feudis? quod primo intuitu negandum videtur, ob dispositionem Juris Civilis circa allodia: Ast hoc, non obstante illo, firmamus & quidem *arg. l. 35. ff. de R. J.* ubi enim J Ctus Ulpianus dicit: *Nibil tam naturale esse, quam quicquam eo modo dissolvere, quo colligatum*, hancque sententiam etiam in Camera Imperiali observari testatur Mynsinger. *cent. 4. observat. 28.*

E

§. XIX.

§. XIX. Ulterius in data definitione mentionem feci, quietæ & non interruptæ possessionis, ergo necessario sequitur, quod debeat esse continua 2. Feud. 26. §. 4. verb. *Per triginta annos possedit*, adde arg. l. 2. c. de *Præscript. long. temp.* l. 3. ff. de *Usurpat. & Usucap. verb. Per continuationem possess.* l. 7. pr. c. eod. adeo, ut ne momento quidem temporis interrupta sit. Videtur ita fere ad impossibilia obligari Vasallum & propter difficillimam probationem excidere præscriptionis utilitate. Hoc itaque impedimentum Doctores removere solent, ut continuam possessionem satis probasse censeatur Vasallus probato principio & fine: Probatis enim extremitatibus præsumuntur media, Schneidew. *ad Instit. de Usucap. pr. n. 61.* Imo, qui adhuc est in possessione de præsentis, probato principio possessionis, præsumitur possidere in præsentis, nam ex possessione de præterito, præsumitur possidere in præsentis nisi contrarium præbetur, Carpzov. *Jur. Feud. part. 2. cap. 3. def. 20. n. 4. seqq.* item obtinet præscribente aliquo directum dominium aut utile. Continuæ huic possessioni obstat usurpatio, quæ vel naturaliter vel civiliter fieri potest Jure Civili, l. 5. ff. de *Usurp. & Usucap.* Illa adimit possessionem, hæc facultatem possessionis dubiam

dubiam facit, & fit vel judicialiter vel extrajudicialiter. Inde Vasallus qui rem alterius tenuit, ut feudalem 20. annos dejectusque de fundo, licet recipiat possessionem, spatium viginti annorum nequit computare. In genere cum Jure Canonico, quod hic sequuntur Doctores, convenit: Ubi doceri potest, interpellatum fuisse ita possessorem, ut scientiam acceperit juris alieni, vel documenta talia apud se habuerit, unde constet, in mala fide ipsum fuisse, vitiabitur præscriptio, Heig. *part. 1. quest. 16. n. 63.* Non præcise continuanda possessio ab uno. Possessio vero intelligitur civilis, non naturalis, in sensu eo quo naturalis denotat detentionem corporalem rei, Civilis quæ exigit animum sibi habendi. Possideat itaque Vasallus, v. gr. rem alterius ut feudalem, & animo habendi sibi sub forma feudi. Licet naturalis apprehensio requiratur ad acquirendam possessionem præter animum, conservatur tamen solo animo & continuatur per *l. 3. §. 1. ff. l. 4. c. de Acquir. poss.* Hic animus manifestatur servitio exhibito *2. Feud. 26.* Numerum servitorum ex hoc textu eliciunt Feudistæ & sufficere semel esse exhibitum, statuunt *arg. cum Ecclesia 3. X. de Caus. poss. & propr. Schultz. S. I. F. c. 9. num. 93.* imo solam exhibitionem servitorum

sufficere statuit Stryck. *in Exam. Jur. Feud. cap. XI. §. 11.*

§. XX. Quædam adhuc adjicienda essent de bona fide ob ordinem hæctenus observatum, quia vero hanc materiam suam supra §. 15. attigimus, transimus tandem ad illam quæstionem: An scilicet. titulus etiam requiratur ad hanc præscriptionem feudalem, ita scilicet. ut possessor titulum suæ possessionis probare debeat; quod ab initio quidem ob sequentes rationes affirmandum videtur. (1.) Quia sine hac probatione nescimus, an aliquis sit in bonæ fidei an in m. f. possessione? (2.) Quia titulus necessario probari debeat in Usucapione; Sed quoad primum respondeo, quod nemo *arg. l. 51. Pro Socio.* præsumatur malus nisi probetur contrarium, ergo in præscriptione etiam nostra hæc locum habebit præsumtio; Quoad secundum respondeo, quod ab usucapione ad præscriptionem non valeat consequentia, alia enim sunt requisita usucapionis, alia præscriptionis feudalis, quæ pro fundamento habet possessionem tricennale, & bona fides ut & titulus præsumuntur, ipsa enim patientia est loco tituli, 2. *Feud. 33.* & hoc non solum Jure Civili, sed etiam canonico obtinet, teste *Frantzio Exerc. 7. num. 1.* Multo minus

nus titulus informat immemoriam præscriptionem, habetur enim hæc loco tituli legitime constituti, *l. 3. §. 4. ff. de Aqu. quotid. §. astiv.* & habet vim privilegii, ac æquiparatur privilegio à Principe alicui expresse & ex certa scientia concessio *c. Super quibusd. 26. X. de V. S.* & spatium illius temporis tantum potest, quantum Imperator, vid. Schneidew. *ad Instit. de Usucap. num. 31.* Et quia præscriptio potissimum eum in finem est introducta, ut puniatur negligentia Dominorum, res suas non vindicantium, delictum hic loco tituli est. Post tantum sane temporis spatium præsumta ad est investitura, seu præscriptio præstat id, quod investitura, *2. Feud. 26. §. 4. verb. Quamvis: Carpov. D. 6. F. ib. 51.* Ex eadem ratione nequit cogi Vasallus ad edendum & probandum titulum suæ possessionis, probare tamen debet hujus continuationem, per spatium triginta annorum, rem tantquam feudalem possessam esse, quod præstiterit servitia, *H. Pistor. l. 2. quest. 46.* Quod cape de eo casu, quo Dominus requirit titulum à Vasallo, qui se defendit tricennali possessione continua, Domino negante: Qui enim exceptione utitur, agere videtur, *l. 1. ff. de Except.* & probare debet intentionem suam.

Ehæc pro instituti mei ratione de Præscripti-  
 onē feudali dixisse sufficiant. Si fortassis exigua  
 hujus materiæ evolutio, Tibi B. L., non in totum  
 arriserit, spero tamen ex parte Tibi non displicitu-  
 ram, facileque TE omnia in meliorem partem in-  
 terpretaturum. Interim veluti cum Divini auxi-  
 lii imploratione hunc laborem auspicati sumus ;  
 Ita cum debita gratiarum actione pro benevola as-  
 sistentia ac concessis viribus eidem ultimam ma-  
 num imponimus,



COROLLARIA

EX

LOGICA, ETHICA, JURE NATVRÆ,  
 JURE CIVILI, JURE CANONI-  
 CO ET JURE PVBLICO  
 DESVMTA.

I.

*IN sensonibus etiam consistere veritatem.*

II.

*Voluntatem dirigere intellectum in materia  
 boni & mali.*

III. Re-

III.

*Regulas honesti & decori etiam pertinere ad Jus Naturæ.*

IV.

*Testamenta non esse Juris Naturæ.*

V.

*Genuinam rationem conductionum esse, ne a-  
liquis locupletetur cum alterius damno.*

VI.

*Actioni contra tutorem ad rationes reddendas,  
non posse opponi præscriptionem 30. annorum.*

VII.

*In legatis annuis & mensuris singulorum an-  
norum propriam currere præscriptionem.*

VIII.

*Secundum Jus Canonicum præscripturus, nul-  
lo tempore debet habere conscientiam rei alienæ.*

IX.

*Maritum dotem alienare posse, si uxor jurato  
consenserit.*


X.

*Heredis institutionem secundum Jus Canoni-  
cum conferri posse in alterius arbitrium.*

XI. Im:

*Imperium Romano-Germanicum habere formam systematis fluctuantis inter Monarchiam & Systema civitatum statuo.*

SOLI DEO GLORIA.









Jena, Diss., 1733 (1)

ULB Halle 3  
003 604 314  


Sb.





H.3. num. 21.

13

Marburg 1707!

Jena 1733, 11

DIETER. HERM. KEMMERICHII,  
ICTI,

ET ANTECESSORIS IN ACADEMIA IENENSI,


COMMENTATIO  
DE

INVESTITURA

PER

BACVLVM ET ANNVLVM,  
ET

IVRE PATRONATVS REGIO.



ACCEDIT

DISPVATIO INAVGVRALIS IVRIDICA,

DE

PRÆSCRIPTIONE FEVDALI,

QVAM

PRAESIDE DEO OPT. MAXIMO

IN

INCLYTA MARPVRGENSIVM ACADEMIA

DIE IX. APRILIS ANNO CIO DCCVII.

PRO

GRADV DOCTORALI

HABVIT

IOHANNES IACOBVS BRANDT,

HOMBERGA - HASSVS.



IENAE,

EX OFFICINA HELLERIANA, 1750

